bere conabatur, loca enim sunt per quæ transeundum Gallis fuit prærupta et plane inaccessa si modo aliquo præsidio muniantur: Fecerunt tamen Galli aliquot validos impetus in Sabaudica præsidia, primo impetu duobus ex locis, summa plane invadentium internecione Sabaudos tamen retrocedere compulerunt et passus illos occuparunt hinc transitus montanos duos sed accurrens Sabaudus cum toto Exercitu expulit inde Gallos et non parva clade affecit. Postmodum aliquot iterum impressionibus tentarunt Galli Sabaudos magis quam invaserunt, sed novissimo impetu, tam fortiter sese Galli gesserunt, ut maxima licet cum clade suorum Sabaudos è passibus illis expulerint, loca et transitus omnes occuparint Sabaudiamque intrarint. Dux ipse Sabaudiæ novissimo hoc conflictu, graviter vulneratus vix impetum Gallorum evasit. Coactus denum Sabaudus in tanto periculo pacem inire cum Gallis (quæ nescitur an Hispano et Cæsari grata erit) hisce conditionibus. Primo arces et loca in Mantuana et Monferratensi ditione occupata Dux Sabaudiæ restituat. Bello hoc neutralitatem suscipiat et observet. Dux Nivernensis recepta possessione Ducatus Mantuani Cæsari et Hispano homagium præstet, iuretque fidelitatem, et ne aliquod dispendium vel detrimentum à Mantuanis Mediolanensi ditioni inferatur, in finibus Mediolanensi et Monferratensibus, propugnacula ex opposito construantur, fortique præsidio muniantur, prohibitura excursiones et latrocinia ab utrinque.

Summus Pontifex dicitur cum Gallo contra Cæs. et Hispanum ligam inivisse, pacta cum eo recuperatione Regni Neapolitani pro Sede Apostolica

De Belgio et Germania 16 Decembris 1628

Serma Infans Hispaniarum Isabella, ut primum famam hausit, captæ ab Hollandis Peruanæ Classis, evehi in altum iussit, quotquot seu Dunkerkæ, seu Ostendæ naves bellicæ erant, ut reducem ex Indiis Hollandorum Classem, vel totam intercipiant, vel partem aliquam vellicent. Sed rumor spargitur, omnia ea ficta esse ab Hollandis, ut decimum nummum annui proventus cuiusque facilius extorqueant.

Post Crempam nuper à Tyllio interceptam [illegible] ulterius tentatur. Ad petitionem Cæsaris confirmavit Summus Pontifex filium Cæsaris Leopoldum in Episcopatum Bremen. et Archiepiscopum Magdeburgen. excluso Saxonis filio, nuper ab Hæreticis Canonicis electo.

Die 20 Novembris ad audientiam Cæsaris admissus est Legatus Turcicus, articulos pacis ea nutu Cæsaris confirmatos obtulit, et munera, quæ tamen nulla ex parte æquant missa à Cæsare Constantinopolim: Obtulit nimirum quatuor equos Turcicos Cæsari, et unum filio Cæsaris, Regi Hungariæ Tapetes octo, et lapides Bezoaricos aliquot, muscum succinum et alia quædam. E Thesauro Cæsaris fur quidam surripuit bis mille Imperiales et gemmas non paucas Unionesque.

Exigua spes affulgere videtur pacis Mantuanæ per Cæsarem componendæ, igitur ad bellum acrius resumendum omnia parantur in ver proximum.

De Gallia et Anglia 16 Decemb. 1628

Innotescunt magis magisque in dies calamitates et miseriæ quibus se Rupellani, ne in Regis sui potestatem devenirent, sponte induerunt tempore obsidionis. Post equos canes feles omnes absumptos, sustentabant se tamen nescio qua aquæ elixione cum Corio vel radicibus condensata

densata Pelege vocant. Ultimus bos qui in Urbe supererat, venditus fuit bis mille aureis
Ovicula centum quinquaginta aur. mensura frumenti (vulgo Boysseau) quadrin
genti flor. libra panis 30 flor. quin et dedita Urbe cum Galli subintrarent, pro
Uno pane Castren. offerebant Rupellani certatim binos aureos, et adhuc habebant,
quasi pro gratis donato, sed mox providentia Regis decrevit precium libræ panis ad
tres asses. Reperta sunt in Urbe tormenta Maiora Octuaginta et commeatus ac
munitionis bellicæ ingens numerus accopia. Parcitum est omnium Civium vitæ,
bonis et Religioni, sed Ducissa de Rohan iussu Regis captiva in Vicinum Parisiis
Castrum abducta est. Rex deinde ingenti Triumpho Parisiis à populo exceptus et
multis muneribus donatus est.

De Hispania eodem anno et di.

Ineunte proximo Januario scribitur iturum Regem Barcinonem cum Aula sua con-
ducturumque sororem suam Serenam Mariam Reginam Hungariæ, ut inde solvat in Italiam.
Putatur Marchio Spinola comitaturus eam usque Genuam. Dux vero Albanus
iam sexto anno Vice Rex Neapolitanus Genua eundem deducturus in Austriam, ubi
paulatim ad nuptias omnia apparantur. Quæ de Classe Peruana per Hollandos
intercepta nuper transmisi, nollem pro Evangeliis adhuc haberi, sunt enim nec pau-
ca nec levia argumenta, quæ falsitatis illa coarguere posse videntur. Successo tempo-
ris res ipsa docebit.

De Italia eodem di et Mense

Imperator ut faciat Hispano et Sabaudo satis, pro impensis bello Mantuano factis, de-
crevit, ut quæcunque in Monferratensi ditione iam teneat, retineat sibi, usque dum im-
pensæ refundantur, iubetque Duci Nivernensi ut Mantuana ditione contentus vivat,
usque ad litis decisionem. Sed Hispanus vult modis omnibus Casale prius potiri, quod tan-
to labore et sumptu hucusque quæsivit.
Interim Mediolani propter annonæ caritatem seditio non levis exorta circiter sex
millium hominis de plebe, qui officinas aliquot diripuerant, Præfectum rei frumen-
tariæ ad mortem deposcentes, parumque abfuit, quin tota Urbs tumultuaretur. Sed oc-
currit opportunè Gubernator Castri cum suis, qui furentem stitit plebem, et Officia-
lium ædes, posito ad platearum angulos præsidio tutatus est.

Die 20 Octobris 1628

De Gallia et Anglia

prius hæc scribenda erant quam præcedentia

Appulit initio Octobris in succursum obsessæ à Rege Galliæ Rupellensi Civitati Classis
Anglicana 150 navium partim bellicarum, partim onerariarum, usque ad 13 Octobris hæsit,
prope Insulam Oleron, et quater submissis navibus incendiariis, in Classem et
machinas ligneas Gallorum, tentavit perrumpere sed irrito semper successu. Nam Galli
vel parvis cymbis obviam missis, vel tormentis depresserunt incendiarias illas naves,
vel retraxerunt in littus, ubi sine damno et noxa conflagrarunt. Quid hoc ista plenilunii effe-
cerint incompertum habemus.
Interim Rex Galliæ ad triplex obstaculum (quod æstatis initio transmisi D. P. sat exa-
ctè delineatum) adiecit quadruplex aliud obstaculum, quo Portum occludit: nec video